

communicat aliquam virtutem, aut lucem, ut aliqui putarunt, sed illuminat phantasmata, inquit S. Thomas quæst. illa LXXXIV, art. 1 ad 4: « Quia sicut pars sensitiva redditur virtuosior ex conjunctione ad intellectum, ita phantasmata ex virtute intellectus agentis redduntur habilia, ut ex eis species intelligibiles abstrahantur. » Igitur hæc habilitas illuminatio nuncupatur, non vero in se recipiunt lucem spiritualem informantem illa, sed lux spiritalis, si qua datur, est ipsa species producta in intellectu possibili ab intellectu agente determinato per tale phantasma, quod ex conjunctione ad intellectum est sic habile, ut ex illo formari possit talis species.

Ad ultimum dicitur, illam actio-

nem instrumenti aliquando esse actionem præviam, et realiter distinctam a motione causæ principalis sicut ablutio aquæ, et productio gratiæ, quia sunt termini realiter distincti; aliquando vero solum est prævia actio virtualiter, et secundum aliquam formalitatem tantum, quia termini ipsi solum formaliter sunt distincti, et non realiter, sicut quando securis scindendo facit lectum divisio quantitatis, et forma producta per artem non sunt termini realiter distincti, sed formaliter, secundum aliquos respectus, et modus, quibus figura illa, aut divisio perfectior est, et sic sufficit quod actio prævia sit, secundum aliquam formalitatem distinctam a forma artificiosa, non vero realiter sit distincta.

SUMMA TEXTUS

LIBRI PRIMI

PHYSICORUM.

Intentum Philosophi in hoc primo libro est. Primo, tradere ordinem, methodumque procedendi in hac scientia. Secundo, principia rerum naturalium investigare, sententias veterum Philosophorum referendo et refutando. Tertio, tandem propriam sententiam statuendo et probando.

Summa capitis I.

Igitur in primo capite proponit ordinem methodumque doctrinæ in scientiis, scilicet ut primo procedatur ex causis, et principiis, deinde inter principia assumantur ea, quæ nobis sunt notiora, et manifestiora; procedit enim ordo doctrinæ a facilioribus et notioribus. Tertio, inquit ea esse nobis notiora, quæ sunt magis confusa, et universalia, sicque ab universalioribus procedendum est, cujus rei tria affert indicia. Primum, quia totum est notius parte secundum cognitionem confusam, universale autem est quoddam totum. Secundum, quia in definito et definitibus prius cognoscimus ipsum definitum, ut quoddam totum, deinde definitia, in quantum ejus partes. Tertium, quia pueri a princi-

pio non discernunt, existimando omnes viros patres, et omnes feminas matres. Deinde vero incipiunt unumquodque discernere.

Summa capitis II.

A secundo capite, usque ad quartum, incipit asserere, et impugnare sententias antiquorum circa principia naturalia. Et in hoc capite secundo, primo affert opiniones veterum in genere. Deinde, specialiter agit contra Parmenidem, et Melissum. Quoad primum generaliter reducit opiniones antiquorum circa principia naturalia ad duo capita, nam quidam posuerunt unum tantum dari principium rerum naturalium, alii plura. Ex his qui ponebant unum principium, quidam posuerunt illud immobile, ut Parmenides, et Melissus, alii mobile, ut antiquiores Physici, qui etiam valde divisi sunt, nam quidam dicebant hoc principium esse aerem ut Diogenes, alii aquam ut Thales, alii ignem ut Heraclitus, nullus vero ex illis posuit solam terram esse primum principium, quia propter ejus grossitatem potius existimabant esse compositam, quam simplicem: Prima autem principia

debet esse simplicia, ut ex eis alia componantur, licet alii antiquiores, quos Theologos et Poetas vocarunt, terram dixerint esse omnium rerum substantiam et naturam, ut lib. II, lect. II, ex Philosopho notat D. Thomas. Ex illis vero qui ponebant plura esse principia rerum naturalium, quidam dixerunt esse finita, alii infinita. Qui finita, alii dixerunt esse duo, ut ignem, et terram; alii tria scilicet aerem, ignem et aquam, repellentes terram propter ejus grossitiam. Alii omnia quatuor elementa, et etiam litem, et amicitiam ut Empedocles. Qui posuerunt infinita, etiam divisi sunt; nam quidam, ut Democritus, posuerunt infinita indivisibilia, seu atomos qui erant ejusdem naturæ, differebant vero secundum figuram, et formam, et ex eorum diversa positione, et combinatione diversæ res resultabant. Alii ut Anaxagoras posuerunt infinita principia, non tamen indivisibilia, neque ejusdem generis, sed infinitas partes minimas, verbi gratia, carnis, et ossis, et aliorum hujusmodi, eo quod dicebant in unaquaque re inesse omnia, quæ ex illa possunt fieri, et cum possint fieri infinita secundum diversas generationes ex unaquaque re, oportet quod in illa sint infinita, et cum non fiant ex nihilo, sed ex aliquo, oportet quod illa infinita sint in actu.

In secundo loco specialiter descendit in hoc capite ad impugnandam opinionem Parmenidis, et Melissi, quorum opinio, quia ponebat unum principium immobile, non pertinet ad Physicum, qui tantum agit de mobilibus, sed ad Metaphysicum. Inde tamen petitis rationibus ostendit illud principium naturale, ex quo cætera fiunt, non posse esse unum, neque immobile, et impugnat eos, ex æquivocatione, qua procedebant, quia non apparet quomodo sumebant rationem entis pro

substantia, vel accidente, vel pro quo accidente nec etiam qua ratione sumerent unum pro uno, continuatione, vel pro uno indivisibili. Unde quia ex æquivocatione unius, et entis processerunt isti Philosophi non a Physico, qui non agit de uno et ente, sed a Metaphysico confutari debent.

Summa capituli III.

In tertio capite solvit rationes Parmenidis et Melissi, ostendens non solum peccare falsum assumendo, sed etiam contra formam argumentandi procedendo.

Summa capituli IV.

In quarto capite incipit agere contra alios Philosophos, qui Physici appellantur, qui de principiis tanquam de mobilibus sentiebant. Et proponit duo genera istorum Philosophorum: quidam enim ponebant unum principium materiale, verbi gratia, aliquod ex elementis; ad separationem autem, et distinctionem rerum ponebant aliqui duo contraria concurrere, puta rarum, vel densum, sive parvum, vel magnum, aut uno verbo dicendo quamcunque excellentiam et defectum. Alii vero Physici posuerunt res naturales fieri ex aliquo principio, in quo omnia erant confusa, sed per quamdam segregationem dicebant fieri de novo ab illa confusione emergendo, et in hoc conveniebant Anaximander, Empedocles, et Anaxagoras; sed differebant, quia Anaximander solum illud unum in quo omnia confusa erant et commixta, dicebat esse principium; non autem illa multa, quæ in eo erant: sed Anaxagoras etiam illa multa ibi contenta dicebat esse principia, et illa multa dicebat esse infinitas partes minimas, quæ in unaquaque

re præexistebant, et ex eorum segregatione dicebantur res fieri; dicebant enim isti Philosophi ex nihilo nihil fieri, et consequenter ex aliquo, et illud aliquod dicebant esse ens actu, quia ens in potentia tantum non agnoscebant. Unde si ex aqua fiebat aer, dicebant aerem præexistere in aqua. Sed quia rursus repugnat sensui dicere, quod in aqua sit aer, vel ignis, qui ex illo generantur, ideo ad hoc evitandum dicebat Anaxagoras in qualibet re esse permixtas infinitas partes insensibiles, et minimas eorum, quæ ex tali re fieri possunt et quia possunt, fieri infinita, ideo dicebant infinitas partes minimas dari.

Contra hanc ergo opinionem Anaxagoræ disputat Philosophus in isto capite: et ad hoc facit tria. Primo, proponit ejus rationem, seu fundamentum. Secundo, quinque rationibus illum impugnat, et occasione istarum minimarum partium agit de terminis magnitudinis, et parvitatibus in rebus. Tertio denique ostendit motivum Anaxagoræ, ex malo intellectu suæ positionis processisse.

Summa capituli V.

In capite quinto incipit tradere propriam sententiam circa principia rerum naturalium: et primo procedit disputative præmittendo in hoc et sequenti capite quædam, quæ apud antiquos etiam admissa fuerunt circa principia. Et tandem in septimo capite resolvit veritatem. Præmittit autem duo. Primum in hoc capite de contrarietate principiorum. Secundum in sequenti, de numero eorum. Igitur in hoc capite quinto ostendit, principia naturalia debere esse contraria: omnes enim Philosophi antiqui aliquam contrarietatem agnoverunt, ut fieret segregatio, et distinctio in naturis, licet in illa assignanda dissentirent; nam, verbi gratia, qui dicebant totum hoc universum esse unum ens unamque substantiam immobilem, dicebant pluralitatem rerum solum esse secundum sensum, ideoque solum inducebant contrarietatem secundum sensum ut calidum, et frigidum, qui vero ponebant unum principium mobile materiale, ponebant rarum et densum, ut ex illo alia fierent. Qui ponebant principia infinita indivisibilia, ponebant vacuum et plenum, quatenus indivisibilia relinquebant quasdam partes vacuas, quasdam plenas. Qui vero infinita divisibilia, scilicet partes minimas ponebant, pro contrarietate assignabant aliquam congregationem et segregationem, secundum quam illæ partes aliquid unum facerent, vel segregarent. Itaque omnes aliquam contrarietatem agnoscebant in principiis. Denique, illam ostendit Philosophus ex inductione et experientia; tum ex ipsa conditione principiorum, quia principia non sunt ex aliis, et ex alterutris, et omnia alia sunt ex ipsis, quæ conditio etiam convenit contrariis: tum ex ipsa generatione et corruptione, quæ sine contrarietate, id est, sine esse, et non esse non datur, ut experientia constat.

Summa capituli VI.

In capite sexto præmittit secundum de numero principiorum. Circa quod tria facit. Primo, ostendit quod principia ex eo quod sunt contraria, neque sunt unum tantum neque infinita. Non sunt unum tantum, quia contrarietas inter plura versatur. Non sunt infinita: tum quia infinitum est ignotum; tum quia principia sunt prima contraria, hæc autem solum sunt in ge-

nere substantiæ, et sic non sunt infinita; tum denique, quia si sunt infinita omnia contraria erunt principia, quod est falsum, quia multa contraria sunt ex aliis prioribus, ut dulce et amarum ex calido et sicco, et sic non sunt prima principia: repugnat ergo esse prima principia, et esse infinita: infinitum enim complectitur omnia. Secundo, ostendit principia non posse esse tantum duo, quia principia sunt contraria inter se: ergo oportet dari aliquid tertium, in quo subjectentur, et circa quod exerceant oppositionem, et sic plusquam duo principia esse debent. Tertio, ostendit non esse plus quam tria, quia sufficientur duo contraria, et unum subjectum, ut ex contrariis dicatur aliquid fieri: ergo non est necesse plura ponere, quam subjectum et formam, et contrarium formæ, quod est privatio. Et ad hoc plures alias rationes congerit.

Summa capituli VII.

In capite septimo determinate resolvit veritatem, et primo procedit ab ipsa generatione seu fieri rei ostendendo, quod ad illud tria requiruntur, scilicet subjectum ex quo aliquid fit, oppositum unde fit, et terminus, qui de novo fit: et quidem dari terminum, manifestissimum est, cum videamus res fieri de novo, quod vero fiat ex subjecto, et privatione constat, quia in omni fieri aliquid permanet, scilicet quod fit de novo, et aliquid non permanet, scilicet id quod antea erat, ergo requirit privationem illius, quod antea erat, et positionem hujus quod modo fit, et quia fit ex aliquo non ex nihilo, cum ex nihilo nihil fiat, sequitur ut ad fieri requirantur tria, subjectum, forma, et oppositum formæ, scilicet privatio. Secundo, col-

ligit ex his principiis rerum naturalium, duo distincta esse inter se, et per se requisita, ex quibus scilicet, res ipsa constat, scilicet materia et forma, in hæc enim resolvitur unumquodque tanquam in partes componentes. Aliud principium requiritur ratione distinctum, scilicet privatio, et dicitur principium per accidens respectu ejus quod de novo fit, sicut hominis musici per se est causa homo et musica, sed quod antea fuerit non musicus per accidens est ad constitutionem ipsius hominis musici.

Summa capituli VIII.

In capite octavo excludit errores antiquorum circa materiam, et in capite nono errores circa privationem. Etenim ex ignorantia materiæ antiqui tollebant generationem substantialem, et solum accidentalem admittent: ducti ea ratione, quia nihil potest fieri simpliciter seu substantialiter, neque ex ente, neque ex non ente: non ex ente, quia si jam est, non sit: non ex non ente, quia ex nihilo nihil fit: ostendit autem Philosophus ipsos non distinxisse inter ens in potentia, et in actu: ex ente enim in potentia fit ens in actu, et hoc ens in potentia est materia, quæ neque est nihil, neque est illud ens in actu quod fit, sed est ens in potentia ad illas formas, quæ in illa de novo educuntur.

Summa capituli IX.

In capite nono et ultimo excludit errores, qui apud antiquos circa privationem irrepserant; licet enim aliqui antiqui materiam dari fatebantur, tamen privationem non distinguebant ab illa, et ita dicebant

materium esse non ens, quia videbant eam privatam omni forma: et sic dicebant aliquid fieri ex non ente, quia fiebat ex materia. Et in hoc fuit inductus Plato, ex ratione Parmenidis, quia quidquid est præter ens, est non ens, materia est præter ens, cum non sit ens actu, ergo non est ens, et sic non distinguebat inter materiam, et privationem; Aristoteles autem ostendit materiam non esse quidem ens actu, nec tamen esse privationem, sed

ens in potentia, quia privatio non appetit formam, neque est in potentia ad formam, sed illi opponitur, eamque destruit: materia autem simul est cum forma recipiendo illam, et componendo ipsum totum: non est ergo idem privatio quod materia, licet materiæ insit privatio quando non habet formam, unde definit materiam, quod est primum subjectum, ex quo aliquid fit cum insit non secundum accidens.

SUMMA SECUNDI LIBRI.

Liber iste in duas partes dividitur. In prima tractat de natura. In secunda de causis. Et habent ista duo inter se connexionem, quia natura definitur per modum principii, et causæ motus, ideoque necesse fuit investigare causas, tractando de natura.

Igitur de natura agit Aristoteles duobus primis capitibus, de causis vero in reliquis septem.

Summa capituli I.

In hoc capite duofacit Philosophus Primo, investigat quid sit natura. Secundo, ostendit quibus conveniat ratio naturæ. Circa primum ponit unam divisionem, et tres definitiones. Divisio est: eorum, quæ sunt, quædam sunt a natura, quædam ab aliis causis, scilicet ab arte, vel a casu. A natura sunt animalia, partes ipsorum, plantæ et corpora similia. Ab arte, ut vestis, lectica, et similia, inter quæ hoc intercedit discrimen; quod ea quæ sunt a natura, per se habent principium alterationis; quæ vero ab arte, non habent per se mutationis principium, sed per accidens; quatenus

constat aliqua substantia naturalis, verbi gratia, lapide, vel ferro. Definitiones sunt tres. Prima ipsius naturæ, quæ definitur non per aliquid absolutum, sed per habitudinem principii. Natura est principium motus, et quietis jus, in quo est primo et per se, et non secundum accidens. Secunda definitio est rerum naturalium. Naturalia dicuntur illa, quæ habent in se ipsis principium sui motus. Tertia definitio est eorum, quæ dicuntur secundum naturam. Secundum naturam dicuntur tam subjecta quorum esse est a natura, quam accidentia, et affectiones eis convenientes.

Circa secundum dicit, quod definitio naturæ convenit materiæ, et formæ. Materiæ quidem non sicut antiqui Philosophi, qui non agnoscant materiam esse puram potentiam, sed aliquid corpus in actu, puta terra vel aqua, aut quid simile, ad quam omnes formæ comparantur tanquam accidentia. Sed Philosophus docet, quod materia prima est natura tanquam principium intrinsecam compositionem rei naturalis: et secundo, quod etiam forma est natura, quia ex ipsa est species, et ratio naturæ, idque rationi-